Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dialogorum sacrorum Libri Quatuor

Châteillon, Sébastien

Basileae, 1565

Panis

urn:nbn:de:bsz:31-102436

SENTENTIA.

Chriſti cibus eſt inexhauſtus. Plus habet Chriſtus, quàm egent homines.

PANIS. Ioan. 6.

ARGVMENTVM.

Ieſus de uiuifico pane, hoc eſt de ſeipſo, diſſerit apud Iudæos.

Iudæi, Ieſus, Diſcipuli, Petrus.

MAgiſter, quando huc ueniſti? IE. *Vos profectò me quæritis, non quia miracula uidiſtis, ſed quia pane ſatiati eſtis. Procurate cibum non interiturum, ſed in omnem perennitatem permanſurum, quem quidem ego uobis dabo. Nam me pater comprobauit Deus.* IV. *Quid agemus, ut diuina opera faciamus?* IE. *Hoc eſt diuinum opus, ut fidem habeatis ei quem miſit Deus.* IV. *Quod ergo tui ſpecimen das, ut eo uiſo tibi credamus? quid tale facis, quale fecit olim Moſes? quo duce maiores noſtri manna uixerunt in ſolitudine: quemadmodum literis proditũ eſt, Panem de cœlo dedit eis comedendum.* IE. *Non Moſes (mihi credite)*[a] *panem uobis de cœlo dedit: ſed meus pater uerum uobis de cœlo panem dat. Nam Dei panis eſt, qui de cœlo deſcendit, & uitã dat hominũ generi.* IV. *Domine, da nobis perpetuò panem iſtum.* IE. *Ego ſum panis uitalis. Qui uenit ad me, nõ eſuriet: & qui mihi fidẽ*

a ſcilice rum.

habet, non ſitiet unquam. Sed hoc uobis dico: & uidiſtis me, neque fidem habetis. Quicquid mihi dat pater, ad me ueniet: & uenientes ad me non eijcio foras. Deſcendi enim de cœlo, b nõ ut meæ, ſed ut eius qui me miſit, uoluntati paream. Hæc eſt autem eius qui me miſit, patris uoluntas, ut ex eo omni quod mihi commiſit, nihil perdam, ſed id ultimo die exuſcitem. Hæc eſt autem eius qui me miſit uoluntas, ut quiſquis filium aſpicit, eiq́; credit, is uitam æternam adipiſcatur, & à me ultimo die in uitam reuocetur.

…ui à Deo …us eſt, is …ſuæ, ſed …olunta- …rere debet.

IV. *Non'ne hic eſt Ieſus* c *Ioſephi filius, cuius nos patrem matremq́; nouimus? Quo pacto igitur ait, ſe de cœlo deſcendiſſe?* IE. *Ne muſſate inter uos. Nemo poteſt ad me uenire, niſi patre, qui me miſit, trahente eum, à me ultimo die in uitam reuocandum. Scriptum eſt in uatibus, omnes fore diuinitùs doctos. Quiſquis ergo ex patre audiuit & didicit, is ad me uenit: non quia patrem quiſquam uiderit, niſi qui eſt à Deo, is patrem uidit. Credite mihi, qui mihi fidit, is uitam habet æternam. Ego ſum panis uitalis. Manna uſi ſunt maiores ueſtri in deſertis, & tamen mortui ſunt. Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit, eiuſmodi, ut qui eo ueſcatur, non ſit moriturus. Ego ſum panis uiuus, qui de cœlo deſcendit: quo pane qui ueſcetur, uiuet in perpetuum. Panis autem quem ego dabo, caro mea eſt, quam pro humani generis uita dabo.* IV. *Quomodo po-*

…ta con- …i ſolent.

teſt

teſt hic nobis carnem ſuam dare comedendam? IE. Hoc uobis confirmo, niſi & carnem meam comederitis, & ſanguinem meum biberitis, non habetis uitam in uobis. Qui comedit meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet uitam æternam: & ego eum in uitam reuocabo ultimo die. Caro enim mea uerè eſt cibus, & ſanguis meus uerè eſt potus. Qui mea carne ueſcitur, meumq; ſanguinem bibit, is in me manet, & ego in eo. Quemadmodum uiuit pater qui me miſit, ita & ego per patrem uiuo: & qui me comedet, is quoque per me uiuet. Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit: cuius longè alia uis eſt, quàm mannæ qua uſi maiores ueſtri, tamen mortui ſunt. Hoc pane qui ueſcitur, uiuet in ſempiternum. D. Dura uox, quis eam audire poßit? IE. Ergo hoc uobis abſurdum uidetur? Quid ſi me uideatis eò aſcendentem, ubi eram antè? Non'ne multo uobis abſurdius uidebitur, ut qui in cœlum aſcenderit, is in terris comedatur? Non ſunt mea dicta ita accipienda, ut dicam ipſam carnem meam comedi. Nam caro quidem nihil iuuat: ſed eſt diuina quædam comedendi ratio, qua uita æterna comparatur, de qua ratione uerba facio. Nam quemadmodum qui panem comedit, is per panem uiuit: ita qui per me uiuit, (id quod mihi credendo, & à me pendendo efficitur) is me comedere dicitur. Sed ſunt quidam ex uobis, qui fidem non habent. Hanc ob cauſam dixi uo-

bis, neminem poſſe ad me uenire, niſi hoc ei datum fuerit à patre meo. Iam uerò multi à me propterea diſcedunt. Quid uos? num etiam uultis diſcedere? P. *Domine, quem adeamus? tu uerba uitæ æternæ habes: & nos credimus & nouimus, te eſſe Chriſtum, Dei uiuentis filium.* IE. *Equidem uos duodecim elegi, ſed ueſtrûm unus diabolus eſt.*

SENTENTIA.

Animæ cibus magis eſt procurandus quàm corporis. Vt pane corpus, ſic ueritate (qui Chriſtus eſt) anima paſcitur.

PRAEPOSTERI. *Matth. 15. Marc. 7.*

ARGVMENTVM.

Ieſus à Phariſæis & ſcribis de diſcipulorum ſuorum illotis manibus reprehenſus, in illos reprehenſionem retorquet, demõſtratq; peccatum non extra, ſed intus eſſe in animo.

Phariſæi & Scribæ, Ieſus, Diſcipuli, Petrus.

[H]omines [...]num in[...]is plus [...]ere ſo[...]t quàm Dei.

CVr a faciunt diſcipuli tui contra inſtitutum antiquorum, ut cibum capiant illotis manibus? I. *Cur & uos contra præceptum Dei facitis inſtituto ueſtro? Deus enim (uti ait Moiſes) parentem utrumq; coli præcepit: & ſi quis patri matri ue maledixerit, eum morte mulctari. At uos ita homi-*